



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XVI. Et sanctitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

154 BONA VOLUNTAS
scita sententiásque venerantis. Qui Po-
tentiam agentem contemplatur, & du-
centem trahenté inve subsequitur, velut
dominum habet, contra quem hiscere tu-
tum non est. Qui Justitiæ acquiescit,
intuetur sicut Judicem reus confitens, ac
tremens dicit, quod Eliu à Jobo volebat
exprimere cap. 33. *Peccavi, & verè deliqui,
& ut dignus eram non recepi.* At qui Mi-
sericordiam & Bonitatem Dei adspicit,
habet illum instar amabilissimi patris, &
cum Seneca epist. 98. damnis, vulneribus,
mortibus incurrentibus, amat Providen-
tiam divinam, sibi que ipse identidem in-
geminat: *Non pareo, sed assentior: ex ani-
mo illum, non quia necesse est, sequor.* Quid
Christianum magis, quid sanctius ac su-
blimius, rationique simul ac fidei magis
consonum, ex ore Christiani ullius au-
diamus?

XVI. *Et sancti-
tas.* Ezechias Rex sanctissimus, li-
bro 4. Regum cap. 20. ad tri-
stem Isaïæ, de posterorum suo-
rum dedecorosa captivitate, denuntiatio-
nem: *Bonus, inquit, sermo Domini, quem
locutus*

locutus est. Sic D. Catharina Genuensis ad malorum quorumvis sensum solita iterare, *Grata venerit calamitas ab amabili Dei manu.* Ita D. Josephus, teste D. Birgittâ, ubique ac semper ingeminare consuêrat: *fiat quod Deo placuerit.* Sic fidelissima & obedientissima ancilla Domini, filiâque, & mater D. Virgo, in Annuntiationis Dominicæ gloria, & Passionis ignominiosæ tormentis, pariter ex animi sententia pronuntiavit, *ô Deus, Fiat mihi secundum verbum tuum.* Sic Christus, Matthæi cap. II. de reprobatione quorundam, quos tamen, ut homines ad Dei imaginem conditos non amare nequibat, Deum laudans: *Ita, inquit, Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Non utitur appellatione Judicis, æquissimam in ea reprobatione pro meritis ferentis sententiam: non domini, de re sua liberè & cum potestate statuentis: non magistri prudentissimi, arcana sua prout videbitur exponentis: sed suavissimam adhibet appellationem Patris, ut eò facilior sit ac jucundior, in re quamvis tristi, humanæ voluntatis

156 BONA VOLUNTAS
tatis cum divina conformitas. Eamdem
ob causam non alio quàm Patris dulcif-
simo nomine usus est, in horto Olivarum,
quando ipsi fæculentus calix, amarissimus-
que, ac peccatorum omnium horrore, &
pœnarum imminentium acerbitate ple-
nus, propinabatur.

SECTIO SECUNDA.

Alterum Adjumentum,

Consideratio providentia humana.

I. *Providen-
tia divina
lampas.* **Z** Achariæ Prophetæ objici-
tur cap. 4. videndum can-
delabrum, & lampas ejus su-
per caput ipsius, & septem lucernæ ejus super
illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant
super caput ejus: & duæ olive super illud, una
à dextris lampadis, & una à sinistris ejus.
Describitur candelabrū septiceps in tem-
plo Hierosolymitano ardere solitum, eâ
ferè formâ, qua Exodi cap. 25. describitur
in tabernaculo collocandum. Aptissima
figura Providentiæ divinæ, quæ aurea
tota